

fluxus ad terram, et refluxus a terra fiunt velocissimi. Ob hæc tum tumoris, tum cursus incrementa, iis quatuor diebus, mare vivum appellant. Quarta a coitu die, minus crescit, minusque decrescit. Et fluxus, et refluxus minus sunt celeres. Quinta die omnia minus. Sexta quoque minus omnia. Septima vero, quæ est una, ante Lunæ quadram. Et sequenti octava, qua fit dimidiata. Et nona quæ est una post quadram, die. (Quod Plinius in Euripo Euboico tantum annotavit) mare totem, nec intumescit fere, nec detumescit, nec fluit, nec refluit. Ideo nautæ per tres hosce dies, aquas mortuas esse dicunt. Post quos iterum incrementum suscipit ita, ut decima a coitu die, sextæ respondeat, undecima respondeat quintæ, duodecima quartæ, et incrementis æqualibus, et decrementis, et fluxibus et refluxibus. Tertiadecima vero dies post coitum respondet diei quæ coitum præcessit. Quartadecima in qua est plenilunium respondet diei coniunctionis. Quintadecima respondet, diei secundæ a coniunctione. Sextadecima tertiæ, in quibus quatuor maxima fiunt iterum incrementa, et decremента maxima medio in pelago. Et per consequens, ad littora, fluxus maximi, et celerimi refluxus. Ab hoc sextodecimo die, decimus septimus, in diminutione respondet quartæ a coitione diei. Decimooctava quintæ, Decima nona sextæ, vigesima septimæ post hanc 21, 22, 23, quieti dantur. Sequentes quatuor incremento 24, 25 et 26 et 27. Vigesima vero octava prima iterum est, summi augmenti ante coniunctionem. Vigesima autem nona dies, dies est coniunctionis. Aqua, eadem ordine recurrunt vices, ita ut hi maris motus, summa quadam constant harmonia. Nam summæ plenitudini bis quater dantur dies, decremento bis tres, quieti itidem bis tres, incremento bis quatuor. Quæ sane vir harmonicus possit, ad harmoniarum reducere rationes diatessaron, diapente, et diapasson replicatas, et per hebdomadas distributas.

Menstruus vero Posidonii motus, non nisi ille est, qui in coniunctione fit, quem ait, et celeritate, et tempore, alios superare. Quod si veram sit, motus ille qui circa plenilunium iisdem quatuor increscit diebus, et qui quatuor illis coitus respondent, minor aliquanto his fuerit, quamvis sit crescentibus maior, et hic descentibus et hic itidem quietis, et mortuis sir plenior. Hic ergo ratione, et hebdomadarius, et menstruus maris motus sunt declarati.

Semestrium vero motuum Posidonius nullam fecit mentionem, neque post ipsum Strabo. Eius tamen Cornelius Tacitus meminit his verbis.

“Mox impulsu Aquilonis simul sideræ æquinotii, quo maxime tumescit Oceanus.”

Duo autem esse æquinotia nemo non novit, sexque menses alterum ab altero distare. Quam rem a Nautis Oceani observatam, confirmavit Ludovicus Guicciardinus. Alius ergo hic a præcedentibus omnibus est maris Semestris motus. De annuo vero, quem tertium numeraverat Posidonius, idem Strabo ex eodem scribit.

Τὰς δ'ἐνιαυσίας παρὰ τῶν ἐν Γαδεΐροις πυθέσθαι φησὶ, λεγόντων ὡς κατὰ θερίνας τροπὰς μάλιστα αὖξοιντο, καὶ αἱ ἀναχωρήσεις, καὶ ἐπιβάσεις. Εἰκάζει δ'αὐτος ὑπὸ τῶν προπῶν μειοῦσθαι μὲν ἕως ἰσημερίας. αὖξεσθαι δὲ ἕως χειμερινῶν τροπῶν. εἶτα μειοῦσθαι μέχρι εἰαρινῆς ἰσημερίας. εἶτ'αὖξεσθαι μέχρι θερινῶν τροπῶν.

“Annuos vero a Gaditanis se audisse ait, qui dicerent; quod circa solstitium æstivum maxime crescerent, et recessus maris, et accessus. Se vero coniestari a solstitio hoc minui usque ad æquinoctium, augeri vero ab eo, usque ad solstitium hiemale, deinde minui usque ad æquinoctium vernum, crescere inde, ad solstitium æstivum.”

Quam Posidonii traditionem, quamvis non satis probet Strabo, refert tamen ex eodem Seleucum quendam e Rubro oriundum mari tradere, cum Luna circa æquinoctialia decurrat signa, æquales hos motus fieri. Cum circa solstitialia inæquales, et quantitate, et celeritate. Sed hic motus annuus iam non est, sed vel semestris, vel etiam trimeuris. Sicuti et ille Posidonii. Igitur mare, et diurnum habet motum, et hebdomadarium, et menstruum, et trimestrem, et semestrem. An vero, et annum habet aliquem? Qui ordine sit sextus? Sane habet. Observavimus enim nos, in Liburnia, Mense Ianuario, qui circa brumam est,